



PRIMÆ LINEÆ ANATOMES.

DE ANATOMIA GENERATIM.

ANATOMIA est scientia, quæ humani corporis structuram docet.

Hæc scientia in 7. dividitur *Doctrinas*.

- I. est *Osteologia* quæ de ossibus agit.
- II. — *Syndesmologia* quæ de ligamentis.
- III. — *Myologia* quæ de musculis.
- IV. — *Splanchnologia* quæ de visceribus.
- V. — *Angiologia* quæ de vasis sanguiferis.
- VI. — *Nevrologia* quæ de nervis.
- VII. — *Adenologia* quæ de glandulis tractat.

DE PARTIBUS CONSTITUTIVIS CORPORIS HUMANI.

Corpus humanum partibus constat *solidis & fluidis*.

SOLIDÆ partes in *duras & molles* dividuntur. *Ossa*
& *Cartilagine*s partes vocantur *duræ*, *musculi*,
& *omnes reliquæ* sunt *molles*.

Omnes partes *solidæ* constant ex *minimis fibris*.

FIBRÆ sunt *tenuissima filamenta simplicia*, quæ ex
particulis terreis, *intermedio glutine nexis*, *componuntur*.

Simplicissimum & ultimum partium solidarum *stamer*
ergo est *fibra simplex*.

Ex fibris simplicibus condensatis fiunt *filamenta*.

— filamentis *textus filamentosus* formatur.

— textu filamentoso condensato *laminæ*,

— laminis *textus cellulosus*,

— textu celluloso fere omnes nostri corporis partes
nascuntur, ut

MEMBRANÆ ex textu celluloso condensato.

VASA ex membranis in cylindrum convolutis.

LIGAMENTA sunt membranæ crassæ, & elasticæ.

CARTILAGO est substantia cellulosa, quæ gelatinam
elasticam, inspissatam, sine terra continet.

OSSA constant ex glutine terreo, inter fibras & cel-
lulas effuso, & inspissato.

NERVI sunt canaliculi tenuissimi liquido nerveo
pleni.

MUSCULI ex filamentis peculiaribus, irritabilitate
donatis, constant.

TENDINES ex textu filamentoso constantur.

VISCERA demum ex vasis, nervis, glandulis, du-
ctibus secretoriis & excretoriis, textu celluloso &
membrana circumvestiente componuntur.

GLANDULÆ autem parva quasi viscera sunt.

